



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 115. Sessio IV. Ferrariæ habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

fuisse, ac esse Orientalem Ecclesiam, ut nun-
quam coorta fuerit in illis partibus tempestas
cujuscunque hæreseos, ad quam sedandam Ec-
clesia Romana non tulerit auxilium omnibus
modis, tum literis, tum Legatis suis, & qua-
cunque alia re facultas tulit. Marcus Ephe-
sinus Rhodio quidem respondit, sed de
ipso dogmatis articulo in hac Sessione ul-
teriori disceptationi supersedit.

§. CXV.

Sessio IV. Ferrariensis Synodi.

Celebrata est feria quarta die decima
quinta Octobris Sessio quarta, quæ
tota nonnisi sermonibus inter Marcum
Ephesinum, & Andream Rhodium ab-
sumebatur, nec ulla certa quæstio per-
tractabatur. Ipse etiam Bessarion Nicæ-
nus Marci partes tuendas suscepit, di-
cens: *neesse est, ut dicenti liceat proferre,*
quæ vult, deinde vero, qui illum audit, aut
probabit, aut reprehendet, coarguetque ser-
mones, ut non veros, ac non necessario con-
cludentes. Græcis enim sermonis præro-
gativa fuit concessa: latinorum igitur est
ea, quæ proponerent Græci, audire, ne-
quaquam vero illos interrumpere, sed
postmodum, si quæ a Græcis minus fun-
date fuissent prolata, convellere. Ad hæc
Bessarionis dicta Julianus Cardinalis re-
spondens, de proponendi methodo tracta

Bb 3

vit;

Sæcul. XV.
A. C. 1438.

vit; Sic tota Sessio inani fere verborum certamine absoluta est, rei summa pene indecisa permanente. Eodem tamen die, cum finita esset Sessio, in domo Patriarchæ, præsentibus Imperatore, Cardinalibus, Prælatibus, ceterisque Viris Ecclesiastica dignitate conspicuis habita est Congregatio, in qua Græci primo loco sanctorum Patrum, & Symboli definitiones recitari iteratis precibus efflagitarunt, contestati, se haud ultra accessuros Synodum, nisi voti damnarentur; Ergo eorum postulatis omnino acquiescere oportuit.

§. CXVI.

Sessio V. Ferrariensis Concilii.

*Labbe Conc.
tom. 13. p. 63.*

Quapropter Marcus Ephesinus in Sessione quinta, quæ die decima sexta Octobris feria quinta celebrata est, primæ & secundæ Synodi Generalis decreta veruti Ecclesiæ Catholicæ, ac fidei fundamenta prælegi postulavit, & paucis a Cardinale Juliano interjectis, Marcus edixit: *Recitabuntur non integræ definitiones; id enim longum esset; sed partes earum, quæ spectant ad præsens negotium.* Igitur lecta est expositio fidei seu Symbolum trecentorum decem & octo Patrum, qui olim Nicæam convenerant; huic additum est decretum, quo Ephesinæ Synodi Patres statuebant, nulli fas esse huic Symbolo quic-